



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn


**Cels[issi]mi ac rev[erendissi]mi principis Ferdinandi
episcopi Paderbornensis ... Baronis de Fvrstenberg Votiva
epigrammata, divis titularibus Luciae Virg. et M.
Syracusanae, Liborio episc. ...**

Ferdinand <Paderborn, Bischof, II.>

[S.l.], 1677

urn:nbn:de:hbz:466:1-7730





Cels.^{mi} ac Rev.^{mi} Principis
F E R D I N A N D I
Episcopi Paderbornensis
Coadjutoris Monasteriensis
Comitis Pyrmontani & Liberi Baronis
D E F V R S T E N B E R G

Votiva Epigrammata,
Divis Titularibus

LUCIÆ VIRG. ET M. SYRACUSANÆ,
LIBORIO EPISC. CENOMANENSI,
MEINOLPHO DIAC. PADERBORN.

sacra,

cum Poëmatiis

Jacobi V Vally & Danielis Papebrochij
è Societate JESU,

*redditam Principi sanitatem gratulantium,
quem mortuum fama vulgaverat.*

S T R A T O C L E S

*Falso de victoriâ nuntio Thebanis
à se delato:*

Quid injuriæ vobis intuli,
qui meâ operâ triduum læti fuistis?

Plutarch. in Præcept. Polit.

F A M A

*De Episcopi & Principis Ferdinandi morte
vulgato à se rumore :*

Quid egi, nisi ut majore lætitiâ
eo recepto quisque frueretur ?

Dysenteria, quæ præterita æstate totam pene pervagata est & afflixit Germaniam, è vivis sublatum Te rumor vulgaverat. Ego, cui magnum studiorum nostrorum præsidium periisse videbatur, eo nuntio percussus, de nostro Nicolao Schateno queri, quod jacturam communis utriusque Mæcenatis prius debuerim ex publicis literis discere, quam vel de periculo per eum admonerer. Ab ipso responsum frustra præstolanti adfertur epistola, manu Tuâ exarata; nuntiatque, lue illa apud Te Neubusij obiisse Schatenum, IX Kal. Septemb. Te vero eâdem quidem, à XVI Kal. Augusti usque ad XVI Kal. Septembr. correptum jacuisse, Medicis vitam desperantibus: sed factò D. Lucix voto ita subito integræque convaluisse, ut memoriæ defuncti, viri de universæ Westphaliæ historiâ, quam scribebat, optimè meriti, epitaphium hoc scribere ac ponere potueris, in æde DD. Henrico ac Cunigundæ Augg. sacra:

Occidit Historiæ patriæ lux magna, SCHATENUS,

Quam perfecturus, si licuisset, erât.

Invidit Lachesis: quâ vitæ stamina rupit,

Historiæ filum rupit iniqua manu.

Non ideo tamen illa minus vulgata per orbem

A sera nomen posteritate feret.

Quam dedit obscura rebus jam nocte sepultis,

Auctori vitam nobile reddet opus.

Addebas, quod à Wallio nostro atque à me soteria expectares: quibus, ut par erat, missis; ne nullum vicissim remissi ac soluti post morbum animi signum dares, ad Musas divertisti; & Vota Tua, quæ, ut majori cura ac religione persolvi viderentur, in pedes suos numerosque coegeras, visum fuit ad nos mittere. Cum autem in proximo essent

⁴
Paschalia festa, ut ea tibi fausta ac fortunata non sine aliquo munusculo precaremur, illud de Tuo nostroque confecimus; animumque induximus nostrum, quemadmodum cum Deo sua tribuimus eum nobis demeremur, ita officij atque observantia erga Te nostra rationes integras fore, si prospera omnia Tibi precati, Tua Tibi redderemus. Vale. Antuerpia. III Idus Aprilis anni MDC LXXVII.

CELSISSIMÆ GRATIÆ TUÆ

Infimus Cliens

Daniel Papebrochius S. I.



DIVÆ

5

D I V Æ L V C I Æ
Virgini & Martyri Syracusanae,

S E R V A T R I C I

in dysenteria & hæmorrhoidum acutissimis doloribus.

F E R D I N A N D V S

Episcopus Paderbornensis,

Coadjutor Monasteriensis &c.

V O T V M

Anno MDCLXXVI.

O! quid torminibus præsens medicina levanda
Ferre laboranti, Virgo, moraris opem?
Tu mortalis adhuc, ægræ solatia matri
Diceris in tanto, Diva, tulisse malò.
Addita nunc cælo potes omnia: pelle dolores,
Qui miseris urunt viscera nostra modis.
Quem non ulla queunt medicamina sistere fluxum
Sanguinis, ah! votis siste vocata meis.
Quodque Agathæ potuere preces, sit fas mihi per te
Carmine votivo dicere, posse tuas.
Concordes animæ, quas nunc par junxit Olympi
Gloria, par olim virginitatis amor:
Este mihi faciles, & pro me jungite vota:
In manibus vestris vita salusque mea est.
Profit, opemque ferat, siquid tamen illa merentur,
Muneribus me vos demeruisse meis.
Altera nunc à me * positas sibi conspicit aras:
Altera, si valeam, munera vota feret.

A 3

Solvisti

6 EPISCOPO ET PRINCIPI
Solvisti meritas dotali munere grates :

Dos mihi, ne munus despice, carmen erit.
Carmine fit vivax meritum : neque nesciet ætas
Postera, quod vivam, munus id esse tuum.
Vota etiam, pro me salvo tibi debita, reddet
Unanimis Vatum, qua valet, arte, chorus.
Quam mihi præstiteris testabitur ara salutem,
Et suspensâ tuo sacra tabella tholo.

In scribam: QUÆ TE, VIRGO, TRIBUENTE REVIXI,
LUX MIHI NATALIS SEMPER HABENDA LOCO.

* Sacellum D. Agathæ Virg. & Mart. ad incolarum religionem
amplificandam, extruxi in Siddeffe anno MDCLXVIII.

*Talia meditante Te, Princeps Celsissime, festinans ego
Tuo ac meo voto exolvi, ad ejusdem Divæ sospitæ aras
hosce versiculos appendendos scripsi.*

Diva potens, morbos semper miserata fluentes,
Sanguine jam venas destituente suas :
Accipe servato meritas pro Principe grates,
Illimes Paderæ cui famulantur aquæ.
Ille sacri fidus Custos & Pastor ovilis,
Ille decus patriæ delictumque suæ
FERNANDUS, quam pene fuit ! Jam fama, fuisse
Dixerat : & passim credita fama fuit.
Tristia defuncto jam pangebamus amici
Carmina, in exequias ultima dona pias.
Vivere cum sese scribit mœrentibus ipse :
Vivere sed scribit munere, Diva, tuo.
Stringere quem nullæ potuere Machaonis artes,
Strinxerunt fluxum vota petentis opem.
O benè, quòd lucis teneas à nomine nomen,
Lux oculis per quam redditur illa meis.

Nunc

Nunc elegos; dum magna suo sequar ordine cœpta,
A tibi devoto pectore plura feres.

Venerit extremis tandem manus ultima fastis,
Ipse tuâ plenus laude December erit.

Sive tuo referam quæstas sanguine palmas,

Sive (quod ô!) numquam non ero, Virgo, tuus.

Næ ego humanæ conditionis non satis memor esse videar, si vastissimi operis, plurium vires lassantis & lassaturi, metam ultimam scribendo vivendoque attingere, & in S. Lucie illustrandâ vitâ operam ponere me posse sperem. Quam à decessoribus accepi lampada, neque segniter aliquo tenus prætuli, eam aliis tradam, ac supplicibus votis exposcam in eorum recipi societatem, quibus nunc devotum studium, & vitam habeo occupatam. Hujus vero pœmatij fructus non levis fuerit, si eorum qui ad S. Lucie Acta pervenient, memoriam commovero, ut ejus clarissimis maximisque beneficiis annumerent sanitatem redditam Principi, de hoc opere nostro suâ beneficentiâ optimè merito. Addant P. Godefridum Henschenium grate ac pie commemorare solitum, vitam se debere matris de se gravidæ & dysentericæ voto, S. Lucie nuncupato; adeoque patrocínio ejus prius se servatum fuisse quam natum.

Hæc ego: Wallius vero noster, quam fuerat ad primum creditæ mortis rumore commotus vehementer, tam eleganter insimulavit Famam, quod optimum quemque acerbissimo nuntio in summum dolorem temere conjecisset, per epistolam sic prælocutus.

CELISSIME AC REVERENDISSIME PRINCEPS.

Habet hoc poëticum studium, præ ceteris ingenuarum artium disciplinis eximium, quod in utrâque fortunâ sive luctum solari, sive gratulandi causas exponere lucu-

lentiùs, & ornatius possit. Tanta in eo est copia, seu potius
 lautitia elegantium verborum, & sententiarum gravitas, &
 in aures animumque suaviter illabentium numerorum vis, &
 è purissimis hausta fontibus divinarum humanarumque re-
 rum scientia. Vtriusque argumenti magnam mihi materiam
 tristis & jucunda res obtulit. Percrebuerat fama publicis
 dissipata literis, quæ ex more quaque hebdomade in Braban-
 tiâ Hollandiâque in lucem editæ, nuntiant quidquid uspiam
 ferè terrarum memoratu dignum geritur, Te dysenteriâ,
 vulgato per universam Germaniam malo, è vivis excessisse.
 O luctuosum, & acerbum omnibus nuntium, & mihi qui-
 dem, quem amici singularis nomine in literis Tuis dignari
 soles, singulariter gravem! Gravi illo casu percussæ Musæ
 meæ, ut sese aliquâ ex parte relevarent, de Epicedio, doloris
 solatio dicam, an fomento? cogitabant. Nequibant certè
 primum sibi sic imperare, ut tristissimi carminis initium,
 nedum exitum invenirent. At ecce Tuæ ad me datæ literæ
 gratissimæ, si ulla umquam, & Tuâ quidem manu, ut
 semper, conscriptæ mihi redduntur: quibus Te è morbo, cuius
 levandi spem medici abjecerant, S. Lucie patrocinio recrea-
 tum scribis. Come est illud Ciceronis, quod, ut in loco, re-
 ferre hîc lubet. Egrotabat Atticus, atque hoc illi significa-
 verat literis ab Alexide liberto suo, qui illi à studiis & epi-
 stolis erat, scriptis, inter cujus & Attici manum nihil admo-
 dum intererat. Tum urbanè Cicero: * Alexidis manum
 amabam, quòd tam propè accedebat ad similitudi-
 nem tuæ: literæ manum non amabam, quia indica-
 bat te non valere. Ego verò manum illam Tuam creber-
 rimis literis Tuis mihi cognitissimam non amarem, à quâ
 nuntium acceperam, quo neque verior, neque optatior ad me
 perferri poterat? Cùm illam dissuaviari coràm non liceret,
 quod licuit, illis quas expresserat notis reverenter osculum
 dedi.

* Lib. 7. ep. 2.

dedi. Ab acerbo igitur luctu ad certam, & ut solent res inexpectatae esse latiores, uberrimam letandi causam tractus silere non potui. Non potui in ordinum & aetatum omnium de vita Tibi restituta gratulantium concursu atque letitia non aliquem etiam iucunditatis meae fructum ad Te mittere. Mihi sane, ita vivam, nullum unquam sereniore animo carmen provenit, quam hoc ipsum, quo Te Tibi, & Ecclesiae, & Imperio, & bonis, & literatis omnibus redditum gratulor. Efferebat sese inter scribendum insatiabili gaudio completus arrectusque animus, gestiebatque redintegrata Tibi valetudine amoris etiam officiique redintegratione non modo veterem meam erga Te observantiam renovare, sed etiam testatorem auctioremque facere. Satis profecto mihi materia dederat Fama, quae re falsa certum, eumque acerbissimum dolorem omnibus inusserat. Itaque primum illam temeritatis insinulavi suae, quod Te, quem propter immortalia merita nemo non immortalem esse vellet, immaturè nobis praereptum esse pervulgasset. Sed haec est, ut ait * Plinius, cum de his, qui elati revixerunt, agit, conditio mortalium: ad has, & eiusmodi occasiones fortunae gignimur, uti de homine nè morti quidem debeat credi. Tum funestam contagione mortis tuae paginam, quam ipsa longè lateque sparserat, non ovis & sulphure, sed è sacrorum ritu carmine lustrandam duxi. Postremò iussi illam in manus hominum carmen hoc dare, tum ut honorariam rumoris à se temerè dissipati multam lueret, tum ut vero latoque nuntio tantum animos omnium diffunderet, quantum antea vano & funesto contraxerat. Tu verò ante omnes, Princeps Celsissime atque Humanissime, hisce versiculis adde vultum, quem Tibi confirmata valetudo reddidit, hilarem vitalemque, qui cum meâ, & omnium, qui

* Lib. 7. cap. 52.

10 EPISCOPO ET PRINCIPI

Te amant, coluntque, lætitia & gratulatione consentiat.
 Qui convaluerunt, non illicò ad res arduas difficilesque
 tractandas sese conferunt: diverticula quædam amant. Ab
 agendis igitur rebus ad brevem animi remissionem, ad
 amœnissimum secessum Te sevoco, ad Heliconem, ad Tuas
 measque delicias. Hic Plinium alterum, nullâ spe, nullo
 timore sollicitatum, nullis rumoribus inquietum, secum
 tantum, & cum libellis loquentem audire te volo. O rectâ
 sinceramque vitam! ô dulce otium honestumque, ac
 pænè omni negotio pulchrius! O FONTES, O LAURI,
 verum secretumque Musæum, quàm multa inveni-
 tis, quàm multa dictatis! Proinde Tu quoque Te curis
 paullisper eripe, & hoc quod affero, bono vultu lege. Vale
 Musarum præsidium, & decus, & Magni Patruï Tui, cui
 Societas nostra tantum debet, quantum se persolvere non
 posse gaudet, annos exple, & de nostris auge. Contraci, anno
 à natali Christi MDCLXXVI, à Tuo, qui in XII Kal. Nov.
 incidit L: qui ut multos per annos celebrandus candidior
 semper candidiorque redeat, vitæ auctorem Deum precor.

* Lib. I. epist. 9.

IN FAMAM.

AT tibi, Fama, malum quo non funestius umquã
 Vatibus allabi poterat, stent limina centum
 Clausa seris, servetque vigil custodia ⁊ portas.
 Dum tibi nulla sera est, dum nocte dieque patefcunt
 Atria, dum præbes avidas venientibus aures,
 Tu nullo veri, nullo discrimine ficti,
 Quidquid id est, dubiis, ut sunt, auctoris effers.
 Sæpè insperatis cumulas nova gaudia rebus:
 Sæpè etiam ingenti permisces omnia luctu.
 Mirabar, dum luce bonâ bona dicere verba

Insti-

Institeram, quid tantùm animus torperet, & altos
 In gemitus oculis sensim rorantibus iret.
 Rumor ad inferias, rumor (sic namque ferebat)
 Fernandi ad tumulum, & funebria sacra vocabat.
 Flendus erat: flentem vix hæc me pauca sinebat
 Edere præcludens vocem dolor: Hei mihi, quantum
 Præsidium Musæ, & quantum vos perditis Artes,
 Per quas Fernandi tollit se gloria cælo!
 Eripitur nostri Mæcenæ maximus ævi:
 Qui Musas colit, & cultis sua præmia ponit,
 Eripitur. Quando hoc pietas nunc debita poscit,
 Ite pij Vates, cineri superaddite laurum,
 Laurum perfusam lacrymis, titulumque sepulcro.

Hæc super in vulgum sparsis, Fernande, canebam
 Illacrymans, cùm visa mihi non illa doloris
 Privati facies, qualis cùm litera nostrâ
 Ducta manu casus, aut mortes narrat acerbæ,
 Inque sinu, quodcumque mali est, deponit amantis.
 Ibat ad occasum rumor gravis, ibat ad ortum:
 Et qui virtutis præconia fecerat antè
 Magna tuæ, magnis implebat questibus orbem.

Cùm jam pressa diu tacitus dolor ora teneret,
 His sua vix tandem rupit suspiria dictis.
 Heu quianam & pesti de te, Germania, tantùm
 Sanguineæ licuit? quid Marte cruentior ipso
 Tot dedit insontes leto, dum cruda mali vis
 Tabentes venas, vitæ claustra, resolvit?
 Danubiusnè parùm, Rhenusque, & decolor Albis
 Sanguinis immisit pelago, cùm miles ab Arcto
 Barbarus Austriadas armis incessit iniquis?
 Conjurata (nefas) augebant fœdera vires.
 Quid te nunc, amor Austriadum, Imperiique Latini
 Grande

Grande decus, Patriæque Pater, miseranda cruoris
 Proluvies vulgo, & pallentibus addidit umbris?
 Integer Heroum 3, priscaeque ab origine gentis
 Ad te demissus sanguis, plebeia tot inter
 Funera, dum miseri furit inclementia morbi,
 Miscendus tabo fuerat? Quis talia flendo
 Ipse sibi flendi leges, & tempora ponat?
 Te patrij lugent annes 4, mœstique requirunt,
 Omnes funereis velati frondibus, omnes
 Auratam effusis spargentes fletibus urnam.
 Dû Padera 5, hospitio Regû memorandus & armis,
 Urbe fluet mediâ, mediâ lugeberis urbe.
 Amisus 6, qui quòd titulo, quòd carmine notum
 Erumpat fontem scatebris non antè repertis,
 Qui quòd pro topho puros de marmore puro
 Ejectet latices, tibi se debere fatetur,
 Qui tibi Nestoreos meritis pro talibus annos
 Voverat, heu voto mœret frustratus inani.
 Deletò quondam gavisus Luppia 7 Varo,
 Te gemit extincto. Qualis legionibus olim
 Amisus Cæsar, squallenti turbidus ore,
 Impexusque comâ, foribus narratur apertum
 Impegisse caput, cladem indignatus, & Urbi
 Ereptas reperens Aquilas, decora alta Quiritûm,
 Æterni signa Imperij: sic ille dolori
 Impar sæpè suo, taurini cornua vultus
 Nequicquam illidit ripis, Mihi reddite, Divi,
 Vociferans, mihi Fernandum mors invida redde.
 Hæc eadem, quâ sese illi committit, 8 Aliso
 Ingeminat: procul arguto responsat ab antro,
 Punicibusque cavis abruptæ vocis imago.
 Nympha tibi, sacris Paduli 9 quæ præsidet undis,
Libandos

Libandos nuper latices, medicamina morbi,
 Nunc importunæ solatia frigida mortis
 Dat lacrymas. Tibi Fons Resonus ¹⁰ graviore sonorus
 Prorumpit strepitu, raptos sibi questus amores.
 Et meritò. Nam quis sese tibi laudibus æquet?
 Non tu condis opes. Si, cùm sol igneus orbem
 Conscendit medium, terras humentibus umbris
 Nox operire potest, poterit quoque clara tenebris
 Celari virtus, & quas ad sidera duxit
 Illustres Divùm signis & numine moles.
 Fortunate operum! cujus tot templa, ¹¹ tot aræ
 Assurgunt opibus. Vox hæc est una colonis:
 Quod lætæ campis segetes, & vitibus uvæ,
 Quod benè sit pecori, quod apes fragrantia plenis
 Stipent mella favis, Superùm sunt omnia munus.
 At merito in tanto pars est tua: debita templis
 Dona tuis ferimus, lectas de messe coronas,
 Aut mites uvas, aut mollis vellera lanæ,
 Flaventesque favos. Si spe præsumere viles
 Hoc potuere animæ, Nos exoravimus aras:
 Tu bonus erecti. Dum vomeris usus honorque
 Ullus erit, nostri ruris te digna manebit
 Gloria. Jamque aliquis forsân, dum frigora captat,
 Tityrus agrestem meditatur arundine musam,
 Et patrias resonare docet tua nomina silvas.
 Sed neque Relligio ¹², non si vigor æthere ab alto
 Plurimus illapsus venis mentemque animumque
 Intus agens moveat, meritis persolvere possit
 Digna tuis: digna his cælum, sed sera, rependet.
 Contemptu rerum felix, divesque beatâ
 Pauperie, thalamique expers, animoque volente
 Imperium jurata pati, tibi templa, tibi aras,
 Liminaque

Liminaque, & quo se tolerat, gratissima debet.

Collidi Scythico quàm non indigna Gradivo
Creta fuit 13 ! stat adhuc armis imperdita nostris,
At lacera, & dirum vix eluctata furorem.

Hanc tu etiam (neque fama levis) servasse fereris,
Dum tua victrices meruerunt æra catervæ.

Quid referam, quæ, ceu remis utaris, 14 & aurâ,
Consilia aggredieris, placideque & fortiter urges?

Quid vigiles noctes, totque inter serâ dulces
Musarum lusus, & caris facta Poëtis

Otia, quid patriis Monumenta perennia fastis

Eruta, quid reliquas, & dignas Principe curas?

Ah, spes incertæ rerum ! quot gaudia sæpè

Dissipat una dies, & funere turbat acerbo !

Non hoc Fernandus de se sperare jubebat,

Non vigor ille ingens animi, non cognita virtus,

Et nondum canos advelans infula crines.

Sed fore, qui Patrum meritis anteiret & annis:

Qui populos, qui jura diu, moremque sacrorum

Defensum daret, & magna inter præmia quondam

Duceret innumeras vinclis Acherontis avari

Ereptas animas, cælique in parte locatas :

Qui procul hærentes Vates, quò prævius ibat,

Aonas ad montes, Permessiaque antra vocaret,

Divinas Phœbi jussos accingier artes.

Quid non antè diem leti vis horrida vertit?

Sic fera tempestas spem longi intercipit anni.

Solibus, & Zephyris resoluta tepentibus arva

Laxant feta sinum : Cerealibus edita sulcis

Semina formosum tollunt caput : omnis olentes

Induitur flores arbor : opulenta colonos

Spes alit ignaros hiemis, sortisque futurae.

Cùm

Cùm subitò horrendùm toto fragor æthere creber
 Intonat : insequitur Rhodopes à vertice præceps
 Immitis Boreas, & mistis grandine nimbis
 Culta terit : nullas exspectant horrea messes:
 Fraudantur pomis nondùm pubentibus horti.
 Sunt hæc, sunt casus tantùm simulamina nostri.
 Non illum graviter pro jacturâque dolendum
 Longa dies ratioque levet. Durabit in ævum
 Mortis acerbus honos, & Vates more piorum
 Annua funebri recolent Fernandia versu.

Talibus atque aliis (nam quid non acre doloris
 Invenit ingenium?) te quisque urgebat ademtum,
 Flebilibus sese incendens, Fernande, querelis.
 Quas nunc, dum salvum nobis te 15 amica reservant
 Numina, ferre dedit levibus trans æquora ventis.
 Te tamen, ô digne antè alios vivace senectâ,
 O Vatum communis amor, quo sospite non me,
 Non alium Musas olim coluisse pigebit,
 Te propè depositum (rumor non omnia finxit)
 Te propè florenti consumtum luximus ævo.
 Ut sua servatus narrare pericula gaudet
 Navita, si fortè in fractâ sese abiete pictum,
 Humentesque mari vestes, velamina fixit
 Vota tholo : sic usque tibi, sic usque recurret
 Lucia, votivo dignandum munere nomen,
 Dum tua manantem referes in viscera mortem.
 Jamque adeò non ova mihi, 16 non sulphura pone
 Viva, puer: lustranda mihi contagia morbi
 Carmine, quod grati dicat sibi sospita Virgo
 Muneris esse loco, quod Fama per ora manusque
 Præcipuè Vatum vultu ferat ipsa sereno.
 Antè tamen, Merui, dicet, neque pendere multam
 Deprecor:

16 EPISCOPO ET PRINCIPI FERD. SOTERIA
Deprecor : indignis (magna hæc injuria falsi est)
Omnia complevi lacrymis : me verius unam
Commiffa hæc luere, & veniam exorare precando.
Tum verò noſtra hæc, ſint qualiacumque, legenda
Porriget, exigua ingentis ſolatia luctus.
Forſitan, & nè rumorum tot millia tritas
Præcipitent, velut antè, vias, atque omnia turbent,
Muniet ærato ſubeundos cardine poſtes,
Jam melior, jam docta malo, ſtudioſaque veri.

Quidquid erit, nos te fruimur, Fernande, tuæque
Mortis inexpletum fas eſt gaudere periclo.
Omnia tecum unà redierunt gaudia : tecum,
Ut poſt informes hiemes, atque horrida Cauri
Frigora, nos verni reficit clementia cæli
Gratior, & dulcem ſtudiorum aſpirat amorem.
Ut cultas olim Regum indulgentia Muſas
Extulerit, nullò tantum ſe Principe tollent.
Non illis Helicon patuit : tantum ardua longè
Culmina proſpexere, atque huc nitentibus ultrò
Vatibus arrexere animos, plauſumque dedere,
Qualis & Eleo miſſos è carcere iuvit
Clamor equos. Tu carmen amas, & ſcribis, & idem
Per ſe curſuros, & jam juga ſumma tuentes
Acriùs inſtigas : te Mæcenate recepto
Numinis afflatu rursùm propiore caleſcent.

NOTE.

1. **S**ERVETQUE VIGIL CUSTODIA PORTAS. *Domus
Fama ab Ovidio ingenioſo architecto fabricata portis
caret, quòd in illam promiſcuè vera falſaque ſeſe inferunt,
atque hinc rursus in publicum procuſſent, nullo aditum,
nullo exitum prohibente.*

2. HEU

2. HEU QUIANAM, pro, cur. Quintilianus, qui Virgilij codicem ipsius manuscriptum habuit: Cùm sint, inquit, verba propria, ficta, translata, propriis dignitatem dat antiquitas. Namque & sanctiorem, & magis admirabilem faciunt orationem, quibus non quilibet fuerat usus, eoque ornamento acerrimi iudicij P. Virgilius unicè est usus. Olli enim & Quianam pellucet, & aspergunt illam, quæ etiam in picturis est gratissima, vetustatis inimitabilem arti auctoritatem. *Hæc ille lib. 8. cap. 3. Usus autem est hac voce Ennius, Plautus, alique, à quibus sibi exemplum habuit Virgilius bis eadem usus. Quod nescire is solum potest, qui cum Virgiliano pastore illud de se fateri debet:*

Nunc oblita mihi tot carmina. *Ecl. 9.*

3. INTEGER HEROUM. Quod iis dictum sit, qui Germanicè nesciunt, Furst Heroem, Berg montem significat. Planè ut Illustrissima Furstenbergiorum gens sui cognomenti notione insignis, & Heroibus inclyta, & velut illa in Euangelio memorata civitas in monte posita, spectabilis sit, propter eminentem dignitatis sua gradum.

4. TEPATRII LUGENT AMNES. Amœnâ & à nullo adhuc usurpatâ inventione Eruditissimus Princeps Ferdinandus Monumenta sua Paderbornensia à fontibus, quos habet ille terrarum tractus & multos, & salubres, & celebres, orditur, ac brevi prius comprehendit carmine, quàm eadem uberius illustrata Lectori proponat.

Nam quamquam sapor est ablatâ dulcis in undâ,

Gratiùs ex ipso fonte bibuntur aquæ.

Ovid. 3. Pont. eleg. 5.

Cùm verò nihil sit Poëtis Gracis Latinisque usitatus, quàm in communi mœnore fontes amnesque lugentes inducere; ego Paderbornensium luctum expressurus, meliore

B

causâ

causâ potui veterum exemplo idem facere.

5. DUM PADERA HOSPITIO REGUM. Padera caput nobilitant Leonis Pontificis Maximi, & Caroli Magni, & multorum consequentium Imperatorum & Regum hospitium, & Imperatoria S. Cunegundis inauguratio, & externorum Principum legationes, & Francorum Saxonumque conventus, & castrorum metationes.

6. AMISIUS, QUI QUOD TITULO. Illum sic loquentem inducit Princeps Ferdinandus :

Qui centum delabor aquis comitatus in æquor,

Antè pererratis urbibus & populis :

Nunc caput occultum rimatus valle sub imâ

Fernandus niveo condecorat lapide.

At tibi Nestorei meritis pro talibus anni,

Lætæque perpetuo tempora vere fluant.

Et nomen, Fernande, tuum sic crescat eundo,

Aucta velut nostræ gloria crescit aquæ.

Gemino huic Amisij voto, pro meo ergà Optimum Episcopum & Principem officio ac potiùs pietate, subscribo, cujus neque virtus, neque fama unquam consenescet.

7. DELETO QUONDAM GAVISUS LUPPIA VARO. Ad Luppiam Romanorum exercitus disciplinâ, manu, experientiâque bellorum Princeps ad internecionem trucidatus est. Quâ nuntiata clade adeò consternatum ferunt Augustum, ut per continuos menses barbâ capilloque summisso caput interdum foribus illideret vociferans : Quintili Vare, legiones redde. Velleius, Tacitus, Suetonius, aliique.

8. HÆC EADEM, QUAE SESE ILLI COMMITTIT, ALISO. Aliso fluvij nomen, & castelli, quod contra Sicambros Nero Claudius Drusus ad Luppiæ & Alifonis confluentes posuit.

9. Fons PADULUS antè Neuhusium, consuetum Episcoporum

CODORUM

coporum & Principum Paderbornensium domicilium, fuit, cujus aquâ in febris ardoribus recreatus aliquando fuit Ferdinandus Princeps.

IO. TIBI FONS RESONUS. Nomen hujus fontis accolis est *Bulderborn*. *Bulderen* Teutonicè cum strepitu blaterare, aut detonare significat. Ferunt, quoties se ad cursum refert (neque enim jugiter, sed intervallis fluit) sibilum per cacumina arborum exaudiri, velut exsurgentis venti impetum ab aquâ proveniente, quæ foras cum strepitu erumpere gestiât, & ad cava vicinorum montium vim suam allidat & frangat.

II. FORTUNATE OPERUM, CUIUS TOT TEMPLA, TOT ARÆ. Rara, & nisi fidem templa & aræ, quas jurati tangimus, facerent, incredibilis Ferdinandi Principis in res sacras religio, ac munificentia. A fontibus suis exemplum sibi cepit, qui quò plus aquarum dederunt, plus affundunt. Quod autem templa multa in pagis ab eo aut erecta, aut instaurata sint, id materiam carmini dedit.

Neuhusij templum paroeciæ à fundamentis extruxit.

In pago Corbeke templum funditus collapsum restituit, & ornavit.

In Cleinenberg templum paroeciæ malè tectum, & vetustate collapsum refecit.

Templum Bustořřianum, ad formam Hierosolymitanæ Ecclesiæ olim constructum, arâ maximâ & porticu ornavit.

In Lichtenau templum paroeciæ, vetustate & incendio deformatum, restituit ornavitque.

Templum S. Crucis extruxit in Altebecâ.

Templum paroeciæ in Oberkirchen, Furstenbergiorum dynastiâ, restituit.

Paroeciæ templum & turrim de calo tactam in superiori Tudorp instauravit.

Sacellum gentilitium SS. Philippo & Iacobo Apostolis, antiquâ Furstenbergiorum religione positum, Theodori Episcopi Paderbornensis Magni Patru sui impensis refectum, injuriâ deinde temporum & bellorum iterum labefactatum instauravit, ornavit, ampliavit.

S. Philippo Nerio, gravi morbo liberatus, sacellum ex voto positum perfecit.

Sacellum S. Annæ collapsum, novum exstruxit in Amerungen.

In Siddeffen exstruxit sacellum S. Agathæ Virgini & Martyri.

In Wirriessen sacellum S. Michaëlis Archangeli exstruxit, ornavit, dedicavit.

Benè tibi, sit Princeps Religiosissime, qui opes, non virtutum, ut multi, sed virtutum, ut pauci, habes adjumenta: benè tibi Deus, benè Cœlites velint, quorum cultui eas liberalissimè insumendas putasti.

12. SED NEQUE RELIGIO. Paderbornæ Patribus Franciscanis templum & Monasterium à fundamentis exstruxit.

Warburgi Cœnobium Patrum Predicatorum restituit, & ornavit.

In Graffschafft templum Ordinis S. Benedicti arâ maximâ, & novis in utroque latere positis altaribus exornavit, donatoque perpetuo censu quinque sacra anniversaria sollemni ritu ibidem celebrari jussit, in suam suorumque, qui ejusdem Monasterij Advocati fuerant, memoriam.

13. COLLIDI SCYTHICO. In belli Cretici subsidium ingentem pecuniæ vim ad Clementem IX Pontificem Maximum misit: qui de hac insigni liberalitate gratias illi, sanè quam pro eo ac merebatur, amplissimas egit his literis.

CLE-

CLEMENS PP. IX.

Venerabilis Frater salutem & Apostolicam benedictionem. Non sine præcipuo lætitiæ & animi grati sensu profectò audivimus, quanto piæ religionis, & ergà Sanctam hanc Sædem & Nos filialis obsequij studio Fraternitas Tua opem defensionis Candiæ conferre parata sit. Cui sanè tam promptæ voluntati ac liberalitati, uti nunc paternæ mentis præcipuâ caritate respondemus, ita quoties occasio tulerit, omnibus in rebus ad rationes Tuas pertinentibus benignè prolixèquè satisfacturi sumus, cum præsertim ea sit generosa virtus & magnanimitas Tua, ut etiam pollicitis addere & cumulare velit, quidquid prætereà in Comitibus publicis decerneretur. Quod etsi sponte Tuâ Te facturum esse offers, tamen pro muneris nostri debito, & summâ rei gravitate, quantum maximè possumus, vehementer etiam atque etiam postulamus. Interim egregiæ pietati Fraternitatis Tuæ retributorem Deum accuratè precamur, Apostolicamquæ benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ, apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, Pontificatus Nostri anno secundo, 4 Maji, 1669.

F. FLORENTINUS.

His adjunxit suas Eminentissimus Cardinalis Rospi gliosius.

III.^{mc} & R.^{mc} Domine,

Egregia liberalitas, quâ D. T. III.^{ma} Venetâ Republicam adversus Christiani nominis hostem adjuvat, dignum Te loco prædicat, quem & in exi-

B 3

stima-

stimatione Aulæ Romanæ, & in Sanctissimi D. N. benevolentia, & in Ecclesiæ Hierarchiâ amplissimum obtines. Magno omnium plausu & commendatione exceptus est hujus rei nuntius, sed Sanct. Sux animum præcipuo quodam gaudij sensu perfudit, quòd tam illustri factò, & filialis in se obsequij devotionisque plenissimo, videt suum in Te amplectendo, & rebus Tuis favendo judicium comprobari: quodque exemplo tam liberali planè confidit ceteros Germaniæ Principes ad commune rei Christianæ periculum propullandum advolaturos. Sanè quantum ad veterem Sanct. Sux in Te amorem magnanimâ istâ pietatis Tuæ significatione cumulum adjunxeris, conjicies ex literis Pontificiis, quæ his adjunctæ D. T. Illustrissimæ reddentur. Sed ex opportunitatibus, quæ se dabunt ornandi Tui, id ipsum planè perspicies. Ad me quod pertinet, gratissimum mihi feceris si operâ industriaquæ meâ in Tuis & Ecclesiarum Tuarum rebus frequenter uteris, quemadmodum & vetus nostra amicitia, & Tua eximia virtus, ac præclara in Religionem Catholicam, atque in hanc Sanctam Sedem merita postulant. Lætâ interim D. T. Illustrissimæ omnia cum diuturnâ incolumitate auguror. Datum: Romæ, 4 Maji, 1669.

Maçte istâ tuâ præstabili virtute & magnificentiâ Ferdinande. Missum sacro bello subsidium religionis defensæ partem Tibi acceptam feret. Tempia & aræ à Te positæ monumenta erunt tuæ pietatis, ultra ævi tui terminos duratura. A te exstructa cœnobîa divinas laudes etiam tum in terris per te concinent, cum tu illas in Cælestium choro excipies, & subsequeris. Spectetur in hac paginâ, tamquam
in

in tabellâ rudi penicillo adumbratâ tuum illud in divino cultu augendo tutandoque studium, quo aureos tibi ad cælum gradus struis, nec de hominibus tantum, sed quodam etiam modo de Deo ipso benè mereri studes.

14. QUID REFERAM, QUÆ, CEU REMIS UTARIS ET AURA, CONSILIA AGGREDERIS.

SUAVITER ET FORTITER. Tessera Ferdinandi Principis est. Quæ venustius explicari non potest, quàm per navim velo & remis impulsam.

15. DUM SALVUM NOBIS TE AMICA RESERVANT NUMINA. Libuit hîc mihi tenui in re periculi, quo defunctus es, Princeps Celsissime, imaginem aliquam cogitationi Tuæ subicere, cum neque mihi ex Virgilij auctoritate syllabam insequentis verbi conflictio, neque Tibi vitam, quæ Dei benignitas fuit, morbus & incommodorum concursus ἐξέδρασε.

16. NON OVA MIHI, NON SULPHURA PONE. De ovis & sulphure in lustrationibus adhiberi solitis constat ex Homero, Tibullo, Propertio, Iuvenale, aliisque. Vnum Ovidij locum produxisse satis sit, cum amantis ægræ thalamum illâ ratione lustrari jubet, aitque id officij genus multis viam aperuisse, ut in tabulis suprema voluntatis, seu testamentis locum sortirentur.

Et veniat, quæ lustret anus lectumque, locumque,

Præferat & tremulâ sulphur & ova manu.

Omnibus his inerunt gratæ vestigia curæ:

In tabulas multis hæc via fecit iter.

Ovid. lib. 2. de Arte.

Mihi verò, Celsissime ac Reverendissime Princeps, satis est morbi Tui contagionem Dei beneficio, & S. Lucie patrocinio expiatam carmine posse gratulari.

FERDINANDVS

Episcopus ac Princeps Paderbornensis,
Coadjutor Monasteriensis,

S. P. D.

Iacobo Vallio è Soc. Iesu,

Amico suo singulari.

C Armen Sotericum, quod natali meo die misisti, elegans & venustum, ut omnia tua, arcanâ vi ita in me rapuit atque excitavit, ut votum D. Luciae Servatrici meæ, quod in ancipiti ac diuturno morbo animo conceperam, his versiculis subitò expresserim. De carmine verò tuo eas tibi gratias, hoc est maximas, ago, quas tam præclarum opusculum meretur. Deum porrò obsecro, ut votum tuum natali meo susceptum ratum esse velit, mihi que modum & occasionem suppeditet summis tuis erga me meritis aliquâ parte respondendi. Vale, meque, ut facis, amatui amantissimum, & in precibus meis memorem, quas etiam à te exposco. Paderbornæ, Kal. Novemb. MDCLXXVI.

Hæc illi scribere dignata est consueta Tibi erga clientes benignitas: qua & meum obsequium gratum habere dignatus, addidisti alia votiva Epigrammata duo, ornandis Sanctorum Fastis aliquando servitura: quæ interim dum ad Iulium atque Octobrem processerit opus nostrum pluteo abdita premere, nefas credidi; ideoque hic subjunxi: & hos, quos versibus Tuis celebras; & omnes, quos nostro labore illustratos cupis Sanctos, Tibi propitios optans.

A D

AD S. LIBORIVM

Cenomanensem Episcopum, Paderbornensem
Tutelarem,

Arenarum & calculi doloribus afflictantium

Præcipuum apud Deum Advocatum,

Cujus sacra Reliquiæ religiose asservantur

In eade Cathedrali Paderbornensi,

F E R D I N A N D V S

Episcopus Paderborn. Coadjutor Monasterien. &c.

Salvete, ô sacri cineres : salvete, Libori
Prodigiis celebres grandibus exuviæ.
Gallia vos olim Cenomanis misit ab oris,
Nunc columen Paderæ præsidiumque meæ.
Vos ego, vos supplex veneror: tu, quæ damus urnæ
Oscula, tu nostras accipe, Dive, preces.
Sic erit ut numquam morbo me tentet acuto
Calculus, aut renes urat arena meos.
His Te namque malis mira virtute mederi
Multa docet sacris fixa tabella tholis.
Sic mea Musa tuos late celebrabit honores
Supplicibus facilem sæpe ferentis opem.
Sic mihi semper erunt niveis signanda lapillis;
Tempora, sic aliis candida semper erunt.

Tibullus At tu natalis multos celebrande per annos
Candidior semper candidiorque redi.

*Possunt igitur Candida tempora vocari, id est, fausta, si dies
candidus vocetur.*

EJUS-

E J U S D E M
 D E S. M E I N V L P H O,

Paderbonensi Diacono & Indigena,

Qui multis clarus miraculis

In cœnobio Bodecensi, loco natali quiescit & colitur

III Non. Octob.

Non pietate minus quam sanguine r clarus avito
 Meinolphus, Paderæ gloria prima suæ,
 Hæc situs est : postquam monuit tellure levandum
 Sponte sua visus dissiliisse 2 lapis.
 Devenerare sacri custodem pignoris arcam,
 Quisquis es antiquæ religionis amans.
 Dic: Licet ostensum cervi inter cornua 3 Numen,
 Mystam oculis 4 captum, virgineumq; 5 peplum,
 Et tot præterea miracula, quæ prior ætas
 Et stupuit præsens, fas filuisse foret:
 Virtutes, Meinolphe, tuas tamen ipsa sepulcri
 Certarent, rupto marmore, saxa loqui.

N O T Æ

1. Ea scilicet inter Saxones nobilitate, ut puerum de sacro fonte suscipere dignatus sit ipse Carolus Magnus.

2 Post annos circiter ab obitu quinquaginta, sub Missa sacrificio coram omnibus lapis sepulcralis primum instar crucis divisus intonuit, deinde etiam in frusta minutus dissiluit.

3 Quo loco condendum Budicense Virginum monasterium erat, cervum vidit coram se genuflexum, & inter ejus cornua signum Dominicæ Crucis splendescere.

4 Meinhardus Attelensis prope locum eundem Parochus

chus ab apparente sibi ter Sancto, ut de elevando quam
 primum uti decreverat corpore Bisonem Ep. Paderborn.
 moneret, imperii exequendi moram cecitate luit: qua re-
 levatus est translatione peracta.

§ Ad viventis adhuc Meinolphi preces Virginis Sancti-
 monialis velum ab igne, in quo ardebat, illæsum receptum
 est.

Hic ego, ut propositum initio fuerat, stare prælum jus-
 seram; cum simul & typhotheta nuntiat vacaturas in char-
 ta pagellas aliquot, & à Tua Humanissima Celsitudine
 adferuntur mihi Epigrammata elegantissima duo; qua
 quia confirmatam Tibi valetudinem pristinam, certam no-
 bis magis ac magis faciunt, non debent à præsumpto ar-
 gumento prorsus aliena videri: lectorem autem eo jucun-
 dius afficient, quo Augustissimi Cesaris felicitati boni om-
 nes favent impensius. Hoc ergo epimetron, bona cum ve-
 nia Tua, prioribus addo.



IMI

PHI-

PHILIPPOLIS ADRHENUM

Philippis, urbi thessaliæ, comparata,

I M P. C Æ S.

LEOPOLDI AVG.

Victoricibus armis erepta Gallis,

GERMANIÆ RESTITUTA.

An. MDCLXXVI. XV. Kal. Octobr.

CÆsar & Augustus, fatali Marte, Philippis
 Emathiæ cives vicit uterque suos;
 Fractaque libertas gemino Romana triumpho,
 Sustinuit dominos & grave ferre jugum.
Tu patriæ vindex (qualis crudelia Perseus
 Dicitur Andromedæ vincla levasse suæ)
 Eripis, ad Rhenum domitis, Leopolde, Philippis,
 Gallorum famulo libera colla jugo,
Cæsare & Augusto major: quos cive preempto,
Ast Te servato vincere cive juvat.

IMP.

IMP. CÆS.
LEOPOLDI AVG.
ET
ELEONORÆ PALATINÆ
IMP. AUGUSTÆ
DIES NUPTIALIS,
XIX. Kal. Januariæ, An. MDCLXXVI.

*Belligerantium Dania & Sveciæ Regum acerrimo
prælio memorabilis.*

A Cris Hyperboreos urit dum bruma Triones,
Et Mars cognatas ducit in arma manus:
Martis amica Venus; Volucres, ait, ite ministri,
Ferte faces, arcus tendite, tela date.
Est aliâ mundi pugnandum parte: triumpho
Ter domitus nostro Martius Auster amet.
Nec mora: quâ Cimber, quâ Rex fera prælia Svecus
Luce ineunt, Cæsar foedus amoris inquit.
Pronuba Juno, precor, populorum vota secundet,
Pactaque conjugij pignore firmet Hymen!
Sic erit Austriacis tam læta & candida regnis,
Quàm fuit Arctoïis tristis & atra dies.

AP.

APPROBATIO CENSORIS.

Pietas homini tutissima virtus. Id Cel-
 sissimum & Reverendissimum
 Principem & Episcopum *Ferdinandum*
 suo experiri bono gratulor, qui à dif-
 ficili & periculoso morbo valetudinem
 sibi restitutam suæ in *S. Luciam Virgi-*
nem & Martyrem pietati acceptam
 refert. Quare ipsius & amantium Poë-
 tarum versus in lucem editos legi, ex-
 emplum interesse arbitror. Antuerpiæ
 IV Idus Aprilis MDCLXXVII.

AUBERTUS VANDEN EEDE,
Archidiaconus & Can. Antuerpiensis
Libr. Cens.

